



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 7. Vtrum quis possit alterum excommunicare extra locum suæ
iurisdictionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

commune Iura permittunt ei iurisdictionis usum, quamdiu toleratur; vt colligitur ex Cap. *Ad eu- randa*. Quæ sententia est probabilis; & meo iudicio certa, quando procedit ex officio, vel ad instantiam partis.

DVBIVM V.

Vtrum consuetudo possit excommunicare?

17
Affirma-
tur.

Respondeo: Possè, si sit legitime præscripta: vt, exempli gratia, si in aliqua diœcesi haberetur à Clero & populo excommunicatus, qui in Quadragesimâ vescitur carne, vel qui nõ communicat in Paschate, etiamsi numquam tale statutum esset editum. Ratio est: quia talis consuetudo habet vim legis; vt rectè Nauarrus cap. 27. num. 7. idque, vel quia ipsa Respublica seruans istam consuetudinè, instar legis, habet potestatem condendæ legis, vt fit in rebus humanis & Republicâ liberâ; vel quia Superior vult consuetudinem vim legis habere.

DVBIVM VI.

Quinam non possint excommunicari?

18
Infidelis.

Respondeo: Nec infidelis, nec catechumenus, nec summus Pontifex, nec vniuersitas seu congregatio, nec mortuus excommunicari potest. De infideli, patet 1. ad Corinth. 5. v. 12. *Quid mihi de ijs qui foris sunt, iudicare?*

Catechu-
menus.

De catechumeno patet: quia nondum subest potestati Ecclesiæ, sicut nec infideles. Nam per Baptismum illi primùm subijcitur. Ante Baptismum non potest cogi ad fidem, vel aliquid fidei annexum. Vnde nõ est verum, quod ait Alphonsus à Castro lib. r. de Iusta heretic. punitione cap. 8. *Catechumenum, si fiat hereticus, posse puniri ab Ecclesiâ*. Dices: Ecclesia determinat catechumenis tempus suscipiendi baptismum; quo præcepto obligatur sub mortali: ergo subsunt Ecclesiæ quoad potestatem directiua, & consequenter quoad coactiua. Respondeo: Non peccant, quod faciant contra Ecclesiæ præceptum; sed quia instructi iam in fide tenentur iure diuino primo quoque tempore, quo Ecclesia illos admittet, baptismum suscipere.

Papa.

De Pontifice Probatur: quia, quamdiu manet Pontifex, est omnium superior in Spiritualibus, nec habere potest in terris in iisdem superiorem.

Communi-
tas.

De Congregatione patet: quia excommunicatio congregationis posset continere intolerabilem errorem: nam etiamsi congregatio peccauit, tamen multi particulares in eâ possunt esse innocentes. Vnde, si is, qui est inferior Papâ, ferat talem excommunicationem, est irrita: Capit. *Sancta Romana*, de sententia excommunicationis in 6. Si autem ipse Papa ferat, valet quidem, quia ipse iure humano non est alligatus: sed innocentes eâ non ligantur corâ Deo, quidquid dicat Siluester.

Mortuus.

De mortuis patet: quia non subsunt amplius potestati iudiciali Ecclesiæ: Dominus enim ait, *Quicumque alligaueritis super terram* Matth. 18. non enim pertinent amplius ad Ecclesiam visibilem, cuius superior est Pontifex. Possunt tamen declarari excommunicati, vel etiam improprie excommunicari, dum priuantur sepulturâ Ecclesiasticâ, & interdicitur ne pro illis offeratur sacrificium.

DVBIVM VII.

Vtrum quis possit alterum excommunicare extra locum suæ iurisdictionis?

Respondeo & Dico Primò: Episcopus potest extra suam diœcesim, non potest excommunicare suos subditos. Patet Cap. *Vt animarum*, de Constitutionibus in 6. Ratio est: quia excommunicatio requirit cognitionè causæ & tribunal, quod Episcopus extra suam diœcesim non habet: imò nec Pontificalia extra eam obire potest sine consensu Ordinarij, vt habet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5.

19
Episcopus
extra suam
diœcesim
potest, non
potest suos
subditos
excommu-
nicare.

Aduerte tamen: Si Episcopus à suis pulsus sit extra diœcesim, potest petita facultate ab Ordinario loci, etsi non obtentâ, exercere iurisdictionem; vt habetur Clementina I. *de foro competentis*. Potest etiam absoluerè subditum extra diœcesim sine strepitu iudicij & solemnitate.

Nisi ab ijs
extra diœcesim,
est Episcopus

Potest ibi
dem eos
absoluerè

Dico Secundò: Subditi, extra diœcesim delinquentes, non incurrunt excommunicationem illi delicto in diœcesi positam. Patet Cap. *Vt animarum*, supra. Ratio est: quia statuta non obligant extra limites iurisdictionis sui Auctoris.

20
Delin-
quens ex-
tra diœcesim.

Ob eandem causam, si subditi peccent in loco exempto à iurisdictione Episcopi, non incurrunt excommunicationem ab Episcopo latam in eos, qui tale crimen committunt: nam, vt Canonistæ docent, locus exemptus, & locus extra diœcesim æquiparantur. Vide Siluestrum *Excommunicatio* 2. num. 12.

Delinques
in loco ex-
empto.

Notandum tamen Primò: Si is, qui deliquit extra diœcesim, redeat, & conueniatur coram suo Ordinario, posse ab illo excommunicari, nisi obediat.

21
Si redeat in
diœcesim.

Notandum Secundò: Si subditus commisso furto, vel homicidio, vel simili crimine in diœcesi, exeat in aliam, posse excommunicari à suo Episcopo, nisi debitè satisfaciatur; quia non solum ratione personæ, sed etiam ratione delicti est ei subiectus. Et Confirmatur: quia cognitio huius criminis non pertinet ad Episcopum vel iudicem alterius diœcesis: ergo pertinet ad proprium Episcopum illius Personæ. Si verò extraneus, commisso huiusmodi crimine in diœcesi, exeat, non potest excommunicari ab illo Episcopo, nisi ante egressionè sit citatus ab illo; vel certè nisi habeat ibi domicilium. Vide Siluestrum *Excommunicatio* 2. num. 20.

22
Si commisso
crimine,
exeat in
aliam diœcesim.

Notandum Tertio, Quando delictum completur in diœcesi à subdito posito extra diœcesim, posse eum excommunicari ab Episcopo diœcesis. Sic Episcopus potest excommunicare Clericos non residentes, etiamsi ipsi extra diœcesim sint: nam peccatum non residendi completur in diœcesi circa rem ipsi subiectam. Pari ratione potest excommunicare Parochos, qui non veniunt ad Synodum diœcesanam; & subditos, qui citati non comparent, etiamsi procul absint. Vide Siluestrum supra.

23
Si crimen
completur
in diœcesi
à subdito
posito extra
diœcesim.

Prochi nõ
venientes
ad Synodum
diœcesanam,
& citati nõ
comparentes.

CAPVT IV.

De causa excommunicationis.